



ORATIO HABI  
ta Norimbergæ coram Senatu  
Principum & omniū Or  
dinum Sacri Ro. Im  
peri, pro expedi  
tione in Tur  
cos suscipienda,  
in. Cal. Decembr.  
M. D. XXII.



ORATIO I.  
(a. MDXXII)

Oratio habita Norimbergae coram Senatu Principum  
et omnium Ordinum Sacri Romani Imperii pro expeditione  
in Turcos suscipienda XIII. Cal(endas) Decembr(is)  
MDXXII.





FRATRES



MACEDONES



*Aquila ad Viatorem I.*

1 Illa ego Coelicolum clarissima nuncia Regis,  
Imperio signum Caesaribusque micans,  
Non hic arma fero, sed honoris praemia, palmam;  
Aptius hanc illis me quoque ferre decet.  
5 Quisquis ades, cuinam data sim, fortasse requiris,  
Nam me Caesarea cernis abesse domo.  
Magnus Alexander, magnae virtutis alumnus,  
Magno me comiti iussit adesse suo.  
Victor ovans primo surgentem in pondera palmam  
10 Ferre, dehinc comitem munus adire dedit.  
Post veniens Scytcis mavortius Attila terris  
Acriter Emathios est populatus agros.  
Illis tum Caesar regnabat Honorius annis,  
Cui nullam afflictis ferre dabatur opem.  
15 Excisa Comiti patria decedere visum  
Victorisque simul Martia castra sequi.  
Hic operam navans validam, virtute fideque  
Aulam promeruit, Attila clare, tuam,  
Hinc illum natosque bonis ingentibus ornas  
20 Et sua virtutem praemia ferre iubes.  
Das magnum terrae tractum, qua lata Themessi  
Flumina, qua Borsae propter amoena fluunt.  
Hic Macedum proles recidivam condidit urbem  
Natalisque soli nomen habere dedit.  
25 At postquam humanis cessit ferus Attila rebus  
Cumque Duce Hunnorum res cecidere suo,  
Hi, velut indigenae, sedes tenuere petitas  
Degeruntque istis secula multa locis.  
Quorum progenies longo deducta tenore  
30 Posteritasque omnis clara potensque fuit.  
Sed tamen ante alios animis spectandus et armis  
Emicuit Macedon nomine Nicoleos.  
Qui congressus Ikach Miso, dirum ense Tyrannum  
Sustulit, et magnas obruit hostis opes.  
35 Victor ad Augustum spoliisque reversus opimis  
Donatus vicis oppidulisque fuit.  
Inde genus ducis, Sacra redimite Tyara  
Ladislae, bonis artibus eximie,  
Tuque, comes Chenadi, celsi cui cura Themesi  
40 Est data, sublimi pectore Nicolae.

Syrmius hic Praesul, Clarie sacer accola rupis,  
Cinctus Daphneis tempora docta comis.\*  
Adde, Palatina quod uterque est clarus in Aula  
Sanguine Bathorea iunctus uterque domo.  
45 Auguror: en rursus titulos aequabit avitos  
Et repetet priscum frater uterque decus.  
Utque ego sola mei nunquam Iovis horreo fulmen,  
Unde feror magni sola ministra Iovis,  
Sic domus haec, viridi praefulgens undique lauro,  
50 A rapido nunquam fulmine tacta ruet.  
Haec nescire nephas. Generose Viator, abire  
Iam potes, oraclis doctior ipse meis.

*Aquila ad Viatorem II.*

Illa ego caesareis ales gestata triumphis,  
Quaeris, cur Macedum tecta superba colam.  
Ille suae voluit me ferre insignia gentis,  
Quo magno maior nullus in orbe fuit.  
5 Addidit et meritum palmae victricis honorem,  
Donans auspiciam posteritati suae,  
Quae duce me magnos iterum tentabit honores,  
Et referet priscum tecta sub ista decus.

\* *Comis*



Ladislaus de Macedonia electus Episcopus Syrmienſis Spectabilibus et magnificis Stephano de Bathor, Palatino regni Hungariae, Iudici Comanorum, Comiti Theſiensi, locum tenenti Regio ac Ioanni de Zapolia, comiti perpetuo terrae Scepuſiensis, Vayvodae Transſylvano, Generalibus\* regni Hungariae Capitaneis meritiſſimis S(alutem) P(lurimam) D(icit).

Cum ex mandato clementiſſimi principis mei, Sereniſſimi 1  
Regis Hungariae et Bohemiae etc. et voluntate omnium Statuum  
patriae communis Norimbergam profectus in augustiſſimo Prin-  
cipum Imperii ſenatu et celeberrimo omnium ordinum conſeſſu  
a(nte) d(iem)\*\* XIII. cal(endas) decembris orationem habuiſ-  
sem, quam Hungariae et praesens calamitas et imminentis ma-  
gnitudo discriminis postulabat, cumque nihil minus, quam ut  
illa publice veniret, cogitarem, Magnifici Domini et collegae  
mei amantiſſimi Petrus de Korlathkew ſupremus marſcalcus ſe-  
reniſſimi Regis Hungariae, Stephanus de Werbeucz in iudiciis  
maieſtatis Regiae locum tenens, Ioannes de Gethe vicepalatinus,  
Sigismundus Pogan de Cheeb et Michael de Kenderes, magnis 2  
me precibus, ut typis excuſam publicarem, coegerunt. Quibus  
ſalvo cum amicitiae tum ſocietatis foedere diu nequicquam reluc-  
tatus parui tandem. Verum enimvero illud mecum frequenter 3  
reputabam, quam grave quamque periculolum eſſet tyroni teſ-  
ſera etiam militari ignorata et primis militiae rudimentis vixdum  
imbuto ſtipem publicam merere. Anceps enim eſt haec rei lite-  
rariae palaestra neque veteranis ipsis et conſummatis doctrina 4  
viris temere tentanda, ubi tot virorum inſignium iudicium acer-  
rimum ſubire debeas, niſi patrono fultus ſis magnanimo. Con- 5  
ſtitui itaque orationem ipſam ampliitudini vestræ nuncupare  
neque id immerito, ut, qui finibus chriſtianiſtæ hoſteis arcetis,  
aemulorum cavillationes et ſcommata lucubrationibus meis,  
quae piaſtæ et chriſtianaſtæ ſunt, defenderetis. Eſt enim neque in- 6  
ventio rethorices fonte deprompta ſit neque diſpoſitio lepide  
cohaereat neque elocutio venuſta gravitate ſententiarum ſcaturiat,  
pro mea tamen erga Amplitudines vestræ animi integritate,  
ſtudio atque obſervantia haſce ſtudiſtæ mei primitias boni conſuletis. 7  
Ut enim in colendis dignitatibus vestræ primas mihi vendicare non ausim, ita cuiſtæiam cedere nullo pacto velim. Tantum 8  
enim apud me ſemper valuit gratiſtæ animi vestræ erga domum  
meam fidelis memoria valebitque in aeternum, ut nulla temporum  
iniuria, nulla rerum viciffitidine; dum ſole magnus luſtrabitur

\* Generabilibus

\*\* ad.

orbis, aboleri possit, quippe qui non prius familiam meam omni gradu honoris illustrare cessastis, quam hocce accessionis cumulo apud serenissimum Regem nostrum Ludovicum patrocinio et suffragio vestro me decorandum curassetis. Proinde, cum praeter vitam omnia vobis debeam, maiorum vestrorum stemma et claritatem altius perstringerem virtutesque vestras atque in patriam benemerita recenserem, nisi ingenii mei tenuitate cum maiorum gloriam tum laudes vestras contaminare potius, quam illustrare pertimescerem. Sed quid aetate nostra, quid avorum, obsecro, tam praeclare tamque optimo iure accidisse putandum, quam ut vos, generosa propago, in administrationem belli et tutelam Hungariae maioribus vestris succederitis?

Tantis enim rebus bene et fortiter gestis patriam illustraverat, tantis bene meritis cumulaverat strenuus ille atque omni aevo celebrandus Baro Stephanus de Bathor, patruus tuus, ut non ab re posteros suos amplectendos mereretur. Transsylvaniam enim tutandam sortitus tanta eam virtute administravit, ut non modo Alibechum caeterosque Turcorum magni nominis satrapas fuderit, sed una acie, quae vix Hungarorum viginti milia expleverat, plus sexaginta sex milibus Turcorum caeciderit occisique ducis Ezebeek spolia referens celebre posteris nomen reliquit. Cuius tu gloriam Palatinus excipis, qui quantum animi indole caeteram Hungariae iuventutem, quantum virtute purpuratos omnes superares, perpetua in te clementissimi regis tui gratia et constantissimum omnium ordinum favor haud obscura argumenta declarant. A primis enim ineuntis adulescentiae annis militiam in Aula Regia auspicatus, maximos quosque magistratus pro incremento aetatis naviter gessisti.

Verum enimvero, clarissime Vayvoda, sollicitat me stilumque retorquet maiorum tuorum claritudo. Tanta enim sapientia tamque spectata virtute fuit clarissimus parens tuus Stephanus de Zapolya, Comes Palatinus, acri vir ingenio et animi iuxta ac corporis fortitudine conspicuus, ut eius ductu et virtute Mathias, Regum decus, gravissima bella confecerit.

Verum, ne angustias epistolae transcendisse iudicari possim, taceo, quanta vos animi virtute, quanta alacritate servilem illam et popularem coniurationem, quae praetextu cruciatae hostili clade in omnem sexum et aetatem paucis ante annis debacchabatur, repressistis quotiesque fines patrios caesis hostium copiis, spoliis graveis, ex cladibus hostilique vastitate vendicastis patriaeque iuxta ac vobis immortalem gloriam peperistis. Proinde attendite, quo patria plausu, quo studio praesenti contra Turcos bello praefici vos viderit. Contendite opinioni iamdudum de vobis conceptae respondere. Moveat vos patriae communis conditio, quae iamdudum praeceps in ruinam virtuti et dextrae vestrae incumbit. Capescite cum Christianae reip(ublicae) tum Hungariae defensionem, celebritatemque nominis vestri, maiorum exemplo rebus fortiter gestis, magis ac magis illustrare adnitamini. Quae ut vobis rata esse velit, deum opt(imum), max(imum) precor, qui terminos fidei suae non modo tutatos, sed latissime per vos propagatos velit.

**Oratio legatorum serenissimi Regis Hungariae et totius Regni coram Serenissimo Archiduce Ferdinando Vicario et Principibus Imperii Norimbergae XIII. Cal(endas) Decembris habita.**

Prooemium

Magnanime Princeps, Reverendissimi in Christo Patres, 1  
Illustrissimi Duces, vosque Generosi omnium ordinum Proceres!  
Quamquam celeberrimi huius collegii vestri\* frequentia in primis 2  
mihi gratissima est, eam enim nactus sum occasionem claris-  
simi huius senatus tum notitiam tum favorem mihi conciliandi,  
ut votis quidem nuncupatis nescio an maior mihi optanda fuit,  
vellem tamen, ut hoc praeludio honoris a rebus prosperis et foelicibus 3  
auspicari mihi liceret, quo maiorem mihi benevolentiam,  
maiorem vestram attentionem comparare possem. Sed illo me  
argumento uti oportuit, quod necessitas et temporis conditio  
obtulit. Neque enim dubito, quod vos, Principes Christianissimi, 4  
sicut Christianorum omnium adversa et erumnas gravate fertis,  
ita avidè cognoscitis, ut opportunius illis ope et opera vestra  
occurri possit, non ignorantes, quod hostis tanta impunitate  
caedis et rapinae ferocior factus atque occasionem rei gerendae  
nactus obvia omnia ferro ignique misceret armaque sua unde-  
quaqua latissime circumferret. Patriae ita nostrae statum, ne 5  
dicam casum, altius repeterem copiosiusque declararem, nisi  
pro comperto haberem superioribus comitiis cum Wormaciae  
tum hic Norimbergae ac proxime in Nova Civitate\*\* Austriae om-  
nem Hungariae calamitatem, qua multis antehac annorum cur-  
riculis vastatur, potissimum vero superioris anni cladem multo  
maximam capta Belgrado susceptam abunde satis dignitates  
vestras intellexisse. Quae omnia cum easdem fidei memoria 6  
tenere non dubitem, supervacaneum mihi videtur exquisita et  
lugubri oratione diuturnam nostram afflictionem prosequi, prae-  
sertim, cum pro explorato habeam plus apud Amplitudines ve-  
stras nudam veritatem, plus fidei Catholicae et sociorum causam  
patrocinii habituram, quam verborum elegantiam et orationis  
leporem. Cum igitur serenissimus et clementissimus Rex et domi-  
nus noster Regni sui, Hungariae solitudinem et clades Sacratissimae  
Caesareae Maiestati Serenissimoque Principi Archiduci  
Ferdinando et Clarissimo huic Principum Senatui subinde de-  
clarasset, tanta Hungariae vastitate, tanta strage permota sacra  
Caesarea Maiestas, reputans primo tanquam Catholicus Prin-

Narratio

\* *vestrae*

\*\* *civitate*

Divisio

Confirmatio I.

ceps sua maxime omnium interesse, ut Christianitas ex diuturnis erumnis et Paganorum servitute tandem vindicaretur et respiraret, cernens praeterea animo, quod flamma haec Hungariae, nisi mature extingueretur, latissime paulo post serperet magnoque incendio universam rempublicam Christianam correptura esset, non dubitavit Sacra et catholica Maiestas subsidium a principibus et omnibus huius sacri Romani Imperii ordinibus sibi pro suscipienda imperiali corona et recuperandis in Italia amissis oblatum contra perfidos Turcas convertere, non dubitavit publicam Christianorum libertatem privato commodo anteferre. Proinde vos quoque, illustrissimi principes, clarissima Germaniae lumina, intellecta iactura et pene ultima pernicietie Hungariae iuxta Maiestatis Caesareae sacrosanctam constitutionem velitis, quaeso, ipsas copias auxiliares Maiestati Caesareae decretas in defensionem Hungariae convertere. Considerare enim in primis debetis nostram et patriae nostrae conditionem; deinde hostis potentiam et tumorem; tum rei gerendae opportunitatem. Christiani quippe sumus, socii et amici huius Sacri Romani imperii. Maiores nostri diu ab annis circiter\* centum et quinquaginta pro sua et communi Christianitatis quiete excubias egerunt. Fines christianos non sine cruentissimo certamine tutati sunt, saeva profecto mercede. Quoniam in alendis copiis diversis et per continua hostis spolia et caedes tot iam labentibus annis omnes Regni Hungariae ordines defecimus. Nobilissimae praeterea regiones Hungariae vasta solitudine et situ foede horrent, ubi quot agros, quot urbeis, quot templa, quot aras, pietatis loca, sacrilegae manus aut everterunt aut in prophanos usus mutaverunt? Nulla domus Hungariae luctu et moerore vacat. Liberi ante ora parentum, parentes in conspectu natorum, honestissimae matronae et sanctissimae virgines pars (miserabile dictu!) atrocissime caeduntur, pars ad explendam turpissimam insolentissimi hostis libidinem in flebilem servitutem abiguntur. Qui iugibus lachrymis moerent et erectis ad sydera palmis vestram opem implorant. Illa, velim, omnium mentes subeat reputatio, quam longe lateque hodie Machumeti incendium hoc evagetur, immo quam sensim gliscendo iam in proximo ardeat. Cum ipse mecum reputo provincias, quibus spoliati sumus, utramque\*\* Misiyam, Dardaniam, Dalmaciam, maiorem Illyrici partem, Liburniam, vix tempero lachrymis cum recordatione malorum, quae passi sumus, tum vero ultimi exterminii, quod amissa Belgrado haud dubie nobis propediem impendet. Caeterae nobis provinciae demptae vectigalia et fines minuerant. At capta Belgrado penetravit hostis in ipsa viscera Hungariae, habet namque confluentem Zavi et Danubii, unde nos classe et copiis pro libito impune ferro et igni vastare, fatigare, ad extremum accisis viribus subiugare possit. Potissima enim Hungariae munimenta,\*\*\* claustra et valla erant quatuor celeberrimi fluvii, ut Regni in-

\* *circiter*

\*\* *Utramque*

\*\*\* *munimenta*

signia prae se ferunt, quibus potissime post opem divinam salu- 18  
 tem Hungariae hactenus acceptam retulimus. At nunc liberum  
 traiectum Danubii et Zavi hostis tenet. Quibus amissis nos sola 19  
 vestra ope servari possumus. Si Tibiscum et Dravum capere  
 patiemi, nullus — quod equidem sciam — navigabilis fluvius  
 usque ad Renum, inferioris Germaniae fluvium, copias hostis 20  
 coercebit remorabiturque. At hostis, habito libero fluviorum  
 traiectu caetera omnia munimenta contemnit. Provinciarum  
 enim situs inaccessos, Alpium rupes invias, urbium et castrorum  
 munitiones insuperabiles novit cum multiplici stratagemate et  
 astu tum annonae penuria fatigare, segetem et vineta conterere,  
 villas, agros, urbes exurere, passim urbe egredientes rapere. Sed 21  
 utinam (deus bone!) minus aestuaremus bellis civilibus, et fer-  
 rum, quod tam frequenter intra viscera stringimus et quo Chris-  
 tianum sanguinem (proh facinus indignum!) haurimus, contra  
 infideles verteremus\*! Certe et victoria nos gloriosior et praeda  
 onustior, quippe nobilissimae et opulentissimae provinciae mane- 22  
 rent. Neque mollis illa caterva et sola Christianorum negligentia  
 ferox multas huius imperii socias gentes servitio premeret neque,  
 quod reliquum Christiani orbis est, superba sibi spe polliceri  
 auderet. Germaniam invadere volenti per Hungariam transe- 23  
 undum est. Proinde, Principes Clarissimi, Hungaria vobis in  
 primis bene munienda est. Hungaria praesidiis firmanda: ibi 24  
 obstruendum iter hosti, si vos et vestra omnia salva esse vultis.  
 Maiores vestri pro Orientalis ecclesiae populis tanquam sociis, 25  
 etsi illi a vera illa et germana fide Apostolica degenerassent, gra-  
 vissima tamen bella gesserunt. Vos pro nobis, quibus par religio 26  
 et fides et fraternae charitatis idem mandatum, dubitabitis nobis-  
 cum una hostem communem pellere? Quare considerate, qualis 27  
 clypeus, qualis murus fuerit hactenus Hungaria Germaniae, et  
 quantum praestiterint arma Hungarorum\*\* cum Orthodoxae  
 fidei tum maxime tranquillitati vestrae, et quid deinceps salva 28  
 praestare possit. Nolite floccifacere fortunas et quietem vestram,  
 quae tota ex salute Hungariae pendet. Nolite contemnere vicinorum 29  
 vestrorum conditionem, quae misera, quae caduca ruinam  
 minatur. Cum impurissimo tyranno et colluvie sua nobis, quin 30  
 potius nobis et vobis, de salute, ne dicam de imperio colluctatio  
 est. Perruptis hii aliquot antehac seculis ergastulis Scytarum, 31  
 qui circa mare Hircanum degunt, servitutem misere fugientes  
 usque in Armeniam minorem pervaserunt. Domita inde Asia 32  
 minore ab Euphrate per ignaviam (heu facinus!) principum eius  
 seculi usque ad angustias Hellesponti et Propontidis oram pene-  
 trarunt. Superato deinde Hellesponto per incuriam Christianorum, 33  
 quicquid insularum est a Taurica Cherssonesso ad oram Ionii  
 maris, cum universa Graecia, Epyro, Macedonia, Thessalia,  
 Thracia et quas paulo ante a nobis captas memoravi provincias, 34  
 suo adiecere imperio. Attentius quaeso, vobiscum hic conside-  
 rate: quot provincias desidia et mutuis inter se Christianorum

Contrarium  
exemplum

Epifogus I.

Confirmatio II.

\* *verteremus*  
\*\* *Hungariorum*

Exclamatio

Epilogus 2

Transitio

Confirmatio

dissidiis Romanum imperium amisit, quarum populos longa iam et teterrima hostis servitute pressos (heu miseram sortem!) quos gemitus, quos planctus et eiulatus tollere putatis, quibus vestram opem implorant? At nos immoderato luxui servientes et ocio dediti longa eos spe frustramur, perpetuo luctu emaciari patimur et, quod his deterius est, tandem desperatos fide se christiana abdicare et in gehennam mergi, cum Christus magister et dominus noster unicam animam totius orbis thesauro praestare docuerit. Moveat, queso, vos illud tremendi iudicis tribunal, ubi iustus salvabitur. Reviviscat nunc in vobis illa districti iudicis sententia non minus saevara, quam iusta. Captivus — inquit — eram, non me visitastis; sitiēbam, non me potastis; esuribeam, non me pavistis; nudus eram, non me vestistis. Quid, obsecro, illi respondebitis? Haec enim omnia in membris suis patitur deus, hoc est in populis impiissime illius tyrannidi subiectis, qui capti, nudi, siti et fame laborant. Praeterea qua velocitate Syriam, Phoeniciam, Palestinam, Arabiam cum maxima Aegypti parte et Alexandria paucis ante annis domuit, duobus Soldanis ultimo supplicio affectis, ut non absurde illud memorabile Iulii Caesaris usurpare potuerit: Veni, vidi, vici. Quo successu elatus victoriae terminum finem terrarum statuit; adeo crevit hostis impudens arrogantia et temeritas ocio et desidia principum Christianorum. Proinde, Clarissimi Principes, si quid ex Romano Imperio, si quid ex regionibus christianis hosti superesse vultis, manus cum eo conseramus necessum est, ut cognoscat esse, cui iactura Christianitatis doleat. Nam nisi illi arma vestra occurrant, nisi signa signis conferantur, nihil actum putetis: adeo munitiones omnes parvi momenti sunt. Capta Nandoralba si (quod procul absit!) potietur et Rodo, maris et terrarum illi patebit aditus. Quod ne fiat, sola Nandoralbae obsidione praestari potest, ut Rodo obsidione soluta, sacrilegus Tyrannus Nandoralbae subvenire cogatur. Quod si non pietatis studium, non zelus\* fidei, non humanitatis iura in hanc sanctissimam expeditionem vos armant et movent, movere saltem poterit et debet necessitas, cui sapientes omnes parent. Malo enim vos considerare, quam fando ominari, qualis Germaniam periclitata Hungaria fortuna maneat. Horret animus admonitu eorum, quae ventura sint, nisi huic incendio mature ibitur obviam. Omnia mala, quae nos passi sumus et patimur, vestris (utinam sim falsus vates!) capitibus et fortunis incident. Turpi servitio adigentur viri promiscue ac foeminae, pueri puellaeque ad stuprum rapiuntur. Ac, cum parum proderunt lachrymae, tunc dolebitis, dum licuit, non ivisse huic incendio obviam. Non creduntur haec futura; neque Graeci neque Macedones neque Dalmatae neque Illyrici olim credidere, qui nunc omnes miseram servitatem serviunt. Utinam non saepe inanem spem aleremus. Quam potens sit hostis, videtis, qui altera manu Armeniam, altera contingit Pannoniam complexus Tauricam et Memphim. Tumor illi et elatio plus quam Barbara. Nunc quanta vobis opportunitas sit etiam exterminan-

\* zelū

dum hostem, nedum arcendum, qualesque Principes sitis, quos ad iustissimum, saluberrimum et honestissimum bellum sollicitamus, considerate, quam opulentissima vobis Regio, quam habitata, quam pacata, quam omne genus aeris et metalli ac machinarum copia refertissima, quam exercitatissimo et instructo milite habundans, artificum\* omnifariam ingenio et manu clarissimorum ferax. Sed utinam deus gloriosus, qui haec omnia vobis uberrime tribuit, tribuat et voluntatem pro nomine suo et fide arma suscipiendi, quae sola vobis hactenus defuit. Quod si Deus Opt(imus) Max(imus) vobiscum; quis contra vos? Ope-  
rentur, obsecro, id milites opesque vestrae, quod Christi preciosus sanguis est operatus: redimant captivos, vindicant a servitute barbara, asserant libertati Christianae, pro tutandis demum ovibus dominicis vitam nullo discrimini exponere dubitent. Rumpite itaque moras, Clarissimi Principes, et sacrosancto caesareo decreto adhaerentes, suae Maiestati promissas copias hoc tempore hyemis\*\* contra Turcos expedite, ut primo quoque veris tempore Hungariae laboranti succurrere possint. Ita regiones vestras integras facilius ex longinquo tutari potestis, quam postea ex propinquo laceras reficere, ut dum hostis potentia minor, dum longinquior obsidione Rodi occupatur, dum Hungariae vires minus attritae nosque susperstites socia arma capessere possumus, laetior simul ac certior vobis ex hoste triumphus et uberiora spolia contingant, quam afflictis nobis et periclitata Hungaria sollicitudo vos de salute regionum et fortunarum vestrarum corripiat. Neque audiendi sunt, qui dicunt expectandum esse, quoad Christianitas omnis et animis et armis conveniat, ut uno Christianorum conatu, una voluntate, uno impetu robur Turci non modo finibus Christianis arceri, sed opes omnes et tota eius tyrannis everti extirparique possit. Verum, ut tot Principum et populorum animi inter se pacari possint atque ad suscipiendam expeditionem in hostem persuaderi, aetas una expectanda erit. Turcorum enim grassationem et acerbitatem gentes in ultimum Occidentem repostae vix auditu solo percipiunt. Et interea aliis de nostro periculo securis, impune nobis tanquam pthisi pereundum, et ita pereundum, ut cum vicina omnia concepto igni flagrare videatis flammamque propagari in penates vestros, ne pedem quidem domo proferre velitis, sed ab aliis, ut extingatur aut residat, expectare, adeo hostis paratior longe est ad rapienda nostra, quam nos ad retinenda. Vitandi sunt et illi, qui robur, potissimum vero classem hostis in Danubio plus iusto extollunt: longe eos classe superabimus, tum quia maior nobis numerus, tum quia nobis secundo flumine, immo fluminibus labendum erit, ne dicam navigandum; illis contra adverso anni et rapido violenter enitendum acriterque remis incumbendum, adeo, ut non modo annonam\*\*\* omnem, sarcinas et impedimenta, sed ipsas etiam copias pedestres duobus ex Ger-

Repetitio

et

disolutum

Confutatio I.

Conduplicatio

II.

\* artificium  
\*\* hyemie  
\*\*\* annovam



III.	mania fluviis insignibus, Danubio et Dravo in ipsos hostis terminos exponere possimus. Non minus fugiendi sunt et illi, qui munitionem Nandoralbae et aliorum hostis castrorum, ut Christianos deterreant, plus aequo praedicant. Est quidem munitissima Nandoralba, sed quam mortales manus erexerunt, proinde immortalis deo et suis militibus capti facillima, si satelles diaboli eam cepisse potuit; et quicquid divina clementia de eventu huiusce expeditionis decreverit, pugilibus autem suis victoriam decrevisse debuit aut mortalem aut immortalem, neutra certa christiano militi repudianda est, quin potius omni conatu adnitendum, ut honestam pro patria mortem generosa propago oppetamus, quam patriam foedissimo tyranno servire degeneres liberi patiamur. Facessant et illi, qui Hungaros inobedientiae, factionis et mutui dissidii arcessunt, quod tamen proximo commilitio et quotidiana consuetudine luce ipsa clarius Amplitudines vestrae perspicere poterunt. Proinde in hoc potissimum victoria nostra et salus omnis constitit, ne quod Calendis perficere possumus, id postridie Calendas differamus neque in cognatos et vicinos ultimi Occidentis populos reiciamus, sicut agricola ille Auli Gellii, in cuius segete Cassita pullos nutriverat. Quae vos ex divina ista expeditione utilitas manebit? Aeternae in primis beatitudinis possessio. Quae etsi sola suffecisse poterat, non deerit tamen apud mortales pacatae Christianitatis immortale decus, cum Germaniae Principes non modo Foroium, Carneam, Carynthiam, Styriam hostium armis infesta pacabunt, sed reliquam etiam christianitatem longo iam situ squalidam pristino decori restituent ac immanissima servitute tot annos oppressam in libertatem vendicabunt, immaculatam Christi domini fidem pro execranda Machumeti tabe plantabunt, pacem pro bello, cultum divinum pro armorum cura, iustitiam pro iniuria referent. Cum itaque vobis copiosissime suppetant omnia, quae victoriam certissimam polliceri possint, videte, quam decorum quamque magnificum sit vos non cessare in tanto cardine nominis et gloriae vestrae propagandae, quam a maioribus vestris claris et victoribus honestissime partam, laboriosissime cumulatam accepistis. Considerate praeterea, Clarissimi Principes, quanta animi alacritate afficietur Sacratissima Caesarea Maiestas, religionis nostrae et Imperator et vindex, cum intellexerit copias, quibus, ut Christianitatem muniret, se spoliaverat, ex constitutione sua iam expeditas ad fines Hungariae ex hoste vindicandos properare. Expendite, num vos amplius dubitare conveniat in hoc auxilio tam sancto, tam necessario, tam salutari praestando, pro quo diu multumque laboramus, ex quo non modo fides Catholica, sed nominis et gloriae vestrae germana celebritas, salus sociorum, fortunae multorum municipum vestrorum cum R(eligione) Christiana defenduntur. Serenissimus autem Rex noster ac universa nostra patria, quicquid sibi fortunarum, quicquid copiarum ex diuturna hostis vastitate cladibusque superest, ad hanc sacrosanctam expeditionem largiri, vitam insuper et sanguinem pro servanda christiana republica vobiscum una effundere parati sunt.	61 62 63 64 65 66 67 68 69 70
IV.		
Epiflogus		
Antiteton et dissolutum		
Conclusio		
Metatesis		